

D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE

LABIORUM CANCRO.

QUOT horrent ſpinis vitæ tramites ! Dum ab imminentibus aculeis refugimus cautiſſimi, ſanitatis occultata roſis maturant nec raro mortis ſemina. A puſtulâ incipit quandoque lethalis morbus, qualis teterrimus ille de quo, prælibatâ labiorum anatome, dicturi ſumus.

I.

BINA oris hiatum conſtituunt labia in ſuperius & in inferius dividua. Quæ muſculoſo potiſſimùm & cellulari textu



conflata, miliaribusque distincta glandulis pilorumque bulbis vestiuntur cute extùs, intùs verò membranâ quâ suppeditatur cuique labio habenula quam *frenulum* vocitant.

Inter Anatomicos dissidium peperit varius cujusque labii musculorum numerus quem ad quatuordecim usu probatissimo referemus.

Communes dicunt musculos qui utrique labro, & proprios, qui uni alteri-ve movendo inserviunt.

Communes. Abducunt utrinque labiorum angulos *Risores* duo, *Zigomaticus* nempè quandoque duplex & *Buccinator* ductu *Stenonis* salivali perforatus: elevant autem *canini*. Constringit fibris quasi arciformibus labia musculus *orbicularis* dictus.

Proprii. Elevat superius labrum ab utraque parte *incisorius* major, minor verò seu *Cowperi elevator* inferius, quod à *triangularibus* & *quadrato* vel menti *apice* depressum volunt plerique.

Quas *coronarias* nuncupant, à carotidis externæ ramo scaturiunt arteriæ; venæ autem in jugulares externas sese exonerant.

A maxillari tùm superiori, tùm inferiori, quin imò à durâ septimi paris portione originem mutuantur nervi.

I I.

Anceps & ambigua vocis *Cancri* enodatio. Sic dictum fuisse à similitudine animantis cancri contendunt *Galenus* (*a*) & *P. Ægineta* (*b*). Sed suo quisque more rem explanat. Ut ut sit, cancrum, uberiorem scirrhi sobolem; ex aliis identidem morbis oriri posse constat experientiâ. Quem diduxêre scriptores in desumptas è morbi temporibus species, quas describendo segregatìm exponemus.

Non semper eadem est cancro nascenti facies. Modò unum, modò plura renitentia prodeunt instar uvæ tubercula quorum titillatio, uredo, dolorifica vellicatio pedissequæ.

Cancri incipientis forma multiplex. Interdùm verruculæ figuram induit cancer, quem si tetigeris, non sine molestissimo quodam doloris morsu, sanguinis aliquantulùm elicitur. Insequuntur crustula indiciaque alia paulo antè recensita.

(*a*) Method. Med. ad glauc. Liv. II, Cap. XII, Chart. Tom. X, pag. 390.

(*b*) Lib. IV. Cap. XXVI.

Corneàm naturam aliàs & formam mentitur labiorum ſcirrhus cujus radix in cancrum (*a*) degenerat.

III.

In altero degeneris ſcirrhi ſtadio adaugetur durities, aſperitas, tumoriſque moles. In ſubrubrum, lividum, nigricantem alternis tranſit vicibus colorem ſumma cutis. Hinc & indè varicoſæ & recurvæ ſerpunt venæ. Titillans, urens, lacerans, pungit dolor. *Cancer confirmatus ſed occultus.*

IV.

Non multò poſt irrepit latiùſque graſſatur malum. Supremam quâ tumor obtenditur tunicam arrodit collectitia humorum illuvies. Callosa patet caruncula quæ citò ſpontaneâ roſione exeditur. Ulcus aſperum & inæquale oris tumentibus duriſſimis, & inverſis, fœtidiſſimâ, tenui, modò fuſcâ, modò nigrâ ſanie teterrimum eſt. *Cancer ulceratus apertusve & juxta quoſdam, carcinoma.*

Luxuriantur quandoque fungoſæ carnes quæ exulceratione alternâ eroſæ iterùm atque iterùm à radicibus repullulant donec nudentur oſſa. *Cancer fungoſus.*

Cum eò miſeriæ res proceſſit, quanta malorum ilias! lethifera (*b*) putredo, rodentis veneni virulentia (*c*), acutorum morborum cruciatus, chronicorum diuturnitas, quantulacunque mentis alienatio, *oculi duri ſunt, neque acutè cernunt, ſitis detinet, papillæ aridæ ſunt....... nares ſiccæ & obductæ neque elevantur, ſpiratio eſt imminuta*, (*d*) quin etiam odoratûs ſæpè, auditûs interdùm & guſtûs depravatio eſt. Quid plura! exſuccis quaſi oſſibus, febriculâ, doloribuſque tabefactos vapidus crebrò deficit animus & vita denique. Quos nonnunquàm, ſive arteriâ eroſâ, *Ultimus cancri gradus.*

(*a*) Talem circumcidit & feliciter curavit D. *Gabon* hujus-ce Collegii Magiſter.

(*b*) Proponit *Gualt. Harris* exemplum Medici cui, poſt uxoris ex ulcerato cancro obitum, ſemper adeò in naribus manſit intoleranda odoris fœditas, ut tandem ipſe confectus obierit.

Et aliud Chirurgi qui cùm, inter occulti cancri extirpationem, collectum in veſiculâ humorem deguſtaſſet, tàm miſerè infecta eſt ſua ipſius lingua, ut exindè inſuperabili nauſeâ tabidus temerariam morte indagationem luerit. Differt. X.

(*c*) *Aëtium* tetrab. IV. ſermo IV. cap. 43.

(*d*) *Hipp. Foës* de morb. mulier. lib. II. ſect. V.

ſive venâ quâvis paulò majori, ſanguinis interimit profuſio (*a*). Interdùm verò æger, intra os ſerpente morbo, *Suffocatione* enecatur (*b*).

V.

Ulcera cancroſa.

IRRITÂTIONE ſolâ peſſimas ſolidis & fluidis corporis humani inferri mutationes comprobant orta ex punctura, nervorumque vel ἀπονευρώσεων dilaceratione mala. Si quid verò ſtrumoſi, ſcorbutici, venerei, melancholici, &c. irritatio traxerit ſecum: ulcera fieri poterunt carcinomati ſimillima, qualia nec ſemel exaſperatis frigore aut ſummæ membranulæ laniatu labiis advenêre (*c*).

VI.

INTERNÆ ſunt cancrorum cauſæ & externæ. Inter internas annumeratur hæmorrhoïdum vel menſtruorum ſuppreſſio, atra curarum moles, melancholia, &c. Labiorum autem morſiunculæ, ictus, contuſio, eluendæ fœditatis incuria & alia §. ſuperiore deſcripta inter externas & internas promiſcuè habenda ſunt. Id mali citiùs eveniet, ſi quæ comburunt, vel rodunt aut validiſſimè diſcutiunt, quæ pinguia ſunt, ſeu reſinoſa, medicamenta, glandulis ſcirrhoſis vel etiam quibusdam mali moris ulceribus temerè fuerint impoſita. E variarum, quas ſuprà recenſuimus, cauſarum coïtu cancer videtur exoriri. Cæterùm de genuinâ vitii cancroſi indole curioſè non ſatagemus, quæ doctiſſimis toties illuſit naturæ ventilatoribus. Quî verò morbus ex indolentiâ ad dolorem tranſeat, exponere paucis tentemus.

(*a*) Quandam vidimus vetulam cujus inferius labrum mentumque claviculis tenùs adeò fuerant depaſta ut, prorupto è jugularibus venis ſanguine, repentinâ morte occubuerit.

(*b*) *Anus cui cancer, ſiniſtro labrorum angulo abſumpto, indè ulteriùs ſub linguâ ſerpebat, cum thoracis affectionibus quas catharrales ipſa dicebat, obnoxia eſſet, ingruente ſuffocatione è vivis rapitur.* Clar. *Morgagnus* citatus à celeb. *Lieutaud.* Hiſtoria Anat. Medic. ſiſtens cad. *extiſpicia*, in-4°. Tom. I, Lib. II, Obſ. IV.

(*c*) Wan-Swieten in §. 352.

VII.

Ex imminuto perdiù & abolito quidem ſanguinis & lymphæ potiſſimùm degeneris motu nihil ulterioris mali conſecutum fuiſſe multiplex comperit experientia. Fiat tamen in æconomia animali, qualicunque causâ, motus concitatior, ſtativus magis magiſque contaminabitur humor, uſque adeò ut, dilaceratis vaſis, factâque effuſi humoris colluvie, cuticula lividis, rubentibus, fuſcis fœdata maculis apparuerit. Quod celeriùs fiet dictorum §. V. medicamentorum applicatione.

VIII.

Ob faciliorem exterioris auræ aditum, ulcerato cancro, gliſcet olidior putrefactionis lues, hincque doloris ſenſus acuetur. Inacceſſo enim externo aëre, difficulter ſpontè ſuâ fœtorem progredi experimentis edocemur. Undè duplicem putredinis ſpeciem diſtinctam voluerant veteres medici, imperfectam ſcilicet & perfectam. Verum enim verò inolenti & ſanguinolentâ refertos lymphâ cancroſos quoſdam tumores in mammis obvios ſibi fuiſſe celeberrimus ſcripſit *Monroo* (*a*); in quos, factâ quâ rueret ſanies punctiunculâ, irrupit brevi fœdiſſima putredinis contagio.

IX.

Ex hâc cancri vel accuratiſſimâ deſcriptione non ità in promptu eſt diagnoſis, ut ne peritiſſimis quidem unquàm dubia videatur.

X.

Non proclivior ad prognoſim patet aditus. Attamen quò minor recentiorque morbi labes, eò certior ac facilior curatio. Irritam ſæpè paſſus eſt operationem vetulus latusque cancer, ſæpiùs ulceratus, ſæpiſſimè ex ulcere ſubortus degeneri. Cæteris paribus, feliciùs ac citiùs curationem recipit graviſſimum hoc malum cauſis primò evocatum externis quàm

(*a*) Obſervat. de Méd. de la Société d'Edimbourg, Tom. V, pag. 524.

internis, in juvenili corpore quàm in seniculo & boni habitûs quàm mali, &c.

X I.

VARIA pro variâ morbi conditione therapeïa. Periclitationis adversæ pertæsi periculosissima cancro medicamenta prisci judicaverant artis principes. undè divus senex (*a*) : *Quibus occulti cancri fiunt, non curare melius : curati enim citiùs intereunt, non curati verò longiùs vitam trahunt.* A plurimis retrò seculis, num feliciores ab hâc parte fuimus ? Neutiquam. Ex tot decantatis non jejunè remediis præstantior sanè & palmaris adhùc cancri medicina habetur extirpatio.

Quod opportunam sedem occupat, præsectâ in crucis modum tunicâ, mobile circumcidendum est tuberculum (*b*).

Si verò altiùs insideat tumor, instituenda est labri leporini operatio. Tùm secandi, tùm adunandi modus peritissimos inter Chirurgos discrepat. De quo doctrinarum divortio differere angustior vetat pagella. Quem plura juvant, consignatum adeat velim nuperrimis Academiæ Chirurgicæ actis commentarium (*c*) in quo novæ conditor methodi deformitati, dolori simul & moræ prospexit feliciter vir de re Chirurgicâ præclarè meritus M. *Louis.* Quam ideò avidè delibatam nobis hîc liceat describere.

Ægri situ, loco & tempore ad operationem accommodatis, extentoque labio, si superius, litteræ græcæ Λ. Si verò inferius. V. figuram referens scalpello ritè peragitur sectio.

Quas coadunet Chirurgus, oræ ministri digitis committendæ. Exule acicularum acuumque supellectile potior sæpiùs visa est fascia tres ulnas longa, pollice uno lata & duplici convoluta glomere, quæ imposita fronti media ponè aures pergat ad cervicem. Hinc, factâ decussatione, &, submisso utrinquè circà malam splenio ministri digitis succedaneo, uterque reducitur ad fissum labrum globulus. Hîc in perforatam consultò fasciam unus trajectatus ad aures revertitur & ità, vice mutatâ, ad labium, ut, adductæ in unum vulneris oræ apprimè glutinentur.

(*a*) *Hippocr.* Aphor. 38, Sect. VI.
(*b*) Anatomie de *Palfin*, Tom. I, Cap. XIII. Sic terna avellanæ formâ secuit mirè persanavitque D. *Sue* hujus-ce Collegii præpositus & Anatomes Professor Regius.
(*c*) Mém. sur le Bec-de-lievre, pag. 385 & suiv. T. IV.

X I I.

Nisi edentulis quibusdam ægris aut vitiatis labiorum angulis vix prosunt suturæ. Quin etiàm plagæ oras non acubus, sed compactis nodatione Chirurgicâ suturis committendas esse arbitramur.

Ad sanum usque (*a*), secari tumorem conclamitant expertissimi artis antistites. Sin aliter obducta dehiscit spontè cicatrix, redivivaque truculentiùs sævit populabunda lues. Superstitibus cancri radicibus abradendis admovent hâc imbuti disciplinâ quidam candens ferramentum, quod, etsi sæpè profuit, sæpiùs etiàm, magistrâ experientiâ, obfuisse testamur; undè parcissimâ prudentissimâque manu adhibendum.

Quod si omnem adunationis spem ademerit cancri amplitudo, ægrotantis incolumitati unicè consulendum est extirpatione, ne præcipitaret in pejus omnia curiosius elegantiæ studium. Cui arrisit sententiæ *Fabricius ab Aquapendente* (*b*).

X I I I.

Ubi verò in memoratum §. III. casum ferocior inciderit morbus, huic debellandæ hydræ hùc usque paria omnimo desunt arma, in quâ mitigandâ nec redundat ulla artis astutia. Sua quisque commendat remedia. Pauca tamen cum lectissimis decerpemus auctoribus. Ut putà fonticulos; è vegetabilibus, hyosciami succos & folia solani, sedi vermicularis (*c*), cicutæ, flores papaveris, dauci sativi radices, &c. E Chymicis, sal saturninum, &c. quibuslibet verò mali gradibus laudabilis colluctabitur Hygieine (*d*).

(*a*) *Paré*, Chap. XXXI. *Fabricius ab Aquapend.* Chir. Oper. Cap. XXIX.

In labris si cancri fiunt, hi protinùs ità excidendi sunt, ut semper aliquid ex sanâ parte tollatur. Platneri, Inst. Chir. §. 271.

(*b*) *Fabric. ab Aquap.* loc. cit.

(*c*) Sedum vermiculare flore albo vulgò gallicè : *Tête de Souris*, feliciter expertum decantatur à Clar. M. *Quesnay* in libro cui titulus est : *Art de guérir par la saignée*, pag. 271.

(*d*) Plurimùm prodesse victum ex lacte solo cum pane exemplis probavit compluribus *Deidier. Traité des Tumeurs*, Chap. VI, pag. 119. & *Vacher*, *Dissertation sur le Cancer des Mamelles*.

Has Theses DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE-BAPTISTA-GUILLELMO FERRAND, Facultatis Artium & Chirurgiæ Magistro, è Regiâ Chirurgiæ Academiâ, antiquo Scholæ practicæ Professore, Regiæ Scientiarum, Humaniorum Litterarum & Artium Academiæ Rothomagensis Socio, nec-non Imperialis Apathistarum Academiæ Florentinæ Socio extraneo, *tueri conabitur*, FRANCISCUS DU JARDIN, *Suessionensis*, *præclaræ Facultatis Artium Magister in almâ Universitate Parisiensi*, *Theseos Auctor.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 27ª Augusti, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam, Anno R. S. H. 1768.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi.